

προς. Οὕτω καὶ ἡμεῖς, ὅτε ἤμεν νήπιοι, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τῆς κτίσεως ἤμεν
 δεδουλωμένοι. Ubi Apost: non simpliciter negat differentiam
 inter filium hæredem, & servum, sed secundum quid. Nam
 hæres parvulus nihil differt à servo ratione χρήσεως, vel usur-
 pationis bonorum paternorum, vel juris sui, cum illo non-
 dum utatur; subjectus enim est Tutoribus, tanquam Domi-
 nis, & servo similis, vivitque ad eorum præscriptum, quibus
 & administratio facultatum omnium est commissa. Differt
 autem à servo ratione spei futuræ χρήσεως, vel usurpationis,
 & κτήσεως, vel Possessionis Facultatum Parentum suorum, vel
 juris sui. Quamobrem Apost. addit: Κύριος πάντων ὢν, quam-
 vis Dominus omnium sit.

Dicuntur autem Tutores (1) Ἐπίτροποι ab ἐπιτρέπω, quod si-
 gnificat, Curæ alicujus committo, quia Tutoribus specialiter
 Pupillorum cura, ratione piæ educationis, & justæ admini-
 strationis bonorum, est commissa, & demandata.

(2) Οἰκονομοὶ non in sensu latiori, pro iis, qui administrant
 domum, & res domesticas, sed speciali, pro illis, qui curant,
 & administrant res Pupillorum.

Περισσμία significat præfinitum, vel præscriptum tempus.

Per στοιχεῖα τῆς κτίσεως, Apost. per Metaphoram, intelligit Ru-
 dimenta V. T, vel leges Ceremoniales. Has v. 10. vocat ege-
 na, & inutilia Elementa, quia esse desierat iste cultus, qui
 hætenus ex lege Mosaicâ erat observatus. Dicuntur autem
 mundi Elementa, quia tempore Pauli mundus, vel filii Agar,
 filii Jerusalem terrestris, adhuc ea amplectebantur, & obser-
 vabant, post tempus à Deo præfinitum.

CONSEQ: (1) proponit, c. III. 23. Antequam venisset fides,
 sub lege tenebamur conclusi, in eam fidem, quæ revelanda erat. (2.)
 Illustrat per ὁμοίωσιν, c. IV. 3. Ubi Apost. docet, quòd populus
 V. T. ante Christi adventum, sese habuerit ad legem Ceremo-
 nialem, sicut infans, hæres paternorum bonorum, ad suos Tu-
 tores